

eius forma et tenor observetur inter ipsos contrahentes, nihil in eodem innovando, illud foedus observando et eidem satisfaciendo. Praefati illustrissimus Dux et Dominium Venetiarum quemadmodum haud dubio se observaturos repromiserunt censeantur in praesenti foedere comprehensi et inclusi. Et quod ipsum foedus tantummodo aliquos status Italiae particulariter et in specie complectitur, quamvis intentio ipsorum contrahentium fuerit consulere et intendere comuni et publico bono, quieti, tranquillitati et universali defensionis et securitati tam dictis dictae Italiae ubi perpenderit incommodum novorum tumultum, aut quicquid eiusmodi esset non possit sive occasione periculi timoris ac forte discriminis etiam aliorum qui superessent evenire. Idcirco declaraverunt, et praesenti tractatu declarant quantum in ipsi est. Quemadmodum etiam expresse faciunt prenarrati alii principes ac potentatus, et eorum quilibet per se ac simul omnes volunt, intendunt et tractant, quod dicta defensio estendatur et intelligatur pro universa Italia, tam generaliter, quam particulariter, et pro omnibus eius membris et partibus ac indifferenter contra quoscunque cuiuscunque status, qualitatis aut dignitatis sive reges sive principes sint, et alios quoscunque qui hostiliter et per vim aliquam invasionem Italiae molirentur seu attentarent quocunque modo, tam terra, quam mari, et in quibuscunque eius confinibus, terminis et locis id fieri contingerit. Hoc tamen addito et expresse declarato, quod huiusmodi confederatio, seu promissio defensionis et alia contenta in praesenti capitulatione non comprehendantur etiam quo ad confederatos Sanctissimum Dominum Nostrum et illustrissimum Ducem Ferrariae quo ad ea quae pretendunt inter se in quibus sint et remaneant in eodem statu et gradu in quo erant ante praesentem capitulationem, donec inter praedictos concordatum aliter fuerit. Promittit tamen Sua Sanctitas per infra 18 menses a die praesentis foederis computandos, predictum Ducem etiam in 220 quibuscunque terris et Dominiis quae de praesenti tenet, seu possidet, non offendet, nec offendi faciet, nec aliquid contra praedictum Ducem de facto innovabit etiam ex quacunque causa nova, dummodo non sit ex causa contraventionum contra aliquid de contentis in praesenti capitulatione, nec etiam offendet vel offendi faciet, nec aliquid contra predictum de jure ex causa ortis, vel promissis ante praesentem capitulationem, dummodo tales causas concernerent Statum, Dominium, iurisdictionem, possessionem vel detrimentum locorum vel

terrarum, quae de praesenti tenentur per praefatum Ducem. Et versavice idem Dux promittit Sanctitati suae eius statum, dominia et terras, quae de praesenti tenet et possidet non offendere vel offendi facere, nec aliquid innovare, eodem modo et forma quibus superius expressa est obligatio seu promissio Sanctitatis Suae. Hac etiam lege, quod predictus Dux suique haeredes non possint predicto tempore 18 mensium durante, facere fortificationes novas in terris atque dominiis Mutinae, Regii, Ruberiae et Cotignolae, sed solum eas quae ad eorum locorum defensionem factae sunt restaurare, reparare et intertenere. Sitque liberum Duci predicto et eius heredibus, casu quo Sanctissimus Dominus noster nolle infra predictos 18 menses terminum predictum prorogare, eo casu nolle stare in foedere vel ab eo discedere, sed ubi praefatus Dominus noster prorogaverit cum qualitatibus et conditionibus predictis et eidem Duci per mensem ante lapsum termini denuntiaverit, idem Dux suique heredes ad observationem huius foederis pro eo tempore prorogationis tenebunt.

Verum, cum stante casu necessitatis difficile ac laboriosum foret de defensione eam tandem cogitare et deliberare et simul ea quae ad resistentiam pertinerent apparare posset, quod interea non pauci incommodi provenire praefati contrahentes ad obviandum huic malo, comuni consensu et consilio, elegerunt et in vim praesentis tractatus eligunt pro prefecto et capitaneo generali predictae ligae et in gubernatorem et directorem huiusmodi defensionis, illustrem et strenuum dominum Antonium a Leyva principem Ascoli, committantes illi et dantes plenam facultatem et auctoritatem, una cum interventu et consensu duorum commissariorum, videlicet unus deputando a Sanctitate Sua et alterius a Caesarea Maestate vel horentibus mandatum ab ipsis habendi curam et respectum ad omnes motus et conatus violentos ne oriri et contra ipsam Italiam fieri possint, et ad intendendum resistentiae ac ordinationi et promissioni eiusdem hic modis et eo numero militum et artellariae, sive ad praessidia disponenda et constituendos milites in confinibus aut conscribendis et ducendo exercitus, sive aliter et cum talibus impensis et sumptibus, tam ordinariis, quam extraordinariis, qui ad id necessarii et convenientes videbuntur iusta exigentiam invasionis et defensionis necessitatem, ad quam quilibet predictorum contrahentium teneatur prestare, adimplere et satisfacere ad requisitionem dicti capitanei generalis et duorum commissariorum ut su-